Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA DE ANNONA,


Quam

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO

DN. GEORG-ADAMO Struven/ J. U. D. Profess. Publ. celeberrimo, Consiliario Saxonico, Curiæ Provincialis & Scabinatus Assessore gravissimo,



Patrono atque Præceptore suo multis nominibus devenerando,

Publicæ ventilationi submittit

Johann-Georg Flessa von Seilbitz.

ad diem April.

JENÆ

LITERIS JOHANNIS NISII,

M DC LIII.

J. J.

DISSERTATIO JURIDICA De ANNONA.

APHOR. I.

AD ſocietatem civilem requiritur, ut in eà ſit αὐτάρκεια, ſive rerum omnium ad vivendum neceſſariarum abunda & ſufficiens copia: quod Calliſtratus Jctus *l. 2. de nundin.* doctrinâ Platonis confirmat: & pluribus exponit optimus civilis prudentiæ magiſter Ariſtoteles *I. Pol 2. & III. Pol. 9.* Maximè verò proſpiciendum, ne civitas egeat annonâ, quippe cujus uſus inprimis neceſſarius. Parva namque urbis præſidia eſſent, parum admodùm leges, ſanctiones, inſtitutaque civitatis prodeſſent, ſi populus eſuriret. Unde quoque legimus in benè conſtitutis rebuspublic. annonæ magnam impenſam eſſe curam. Cum itaque in Legibus etiam Romanis ſæpiùs annonæ fiat mentio: ideò de illâ, animi laxandi cauſsâ, Exercitatione hâc Academicâ, Deo clementer annuente, paucis quaſi per ſaturam, agemus.

II. Annona Suidæ à nonis dicitur, quod poſt nonas apud Romanos fuerit data. Ita enim ille *voc.* Νόνναι ſcribit: δοκοῦσι παρ' αὐτοῖς λέγεσθαι αἱ ἀννῶναι ὡς ἀνὰ τὰς Νόννας διδόμεναι. Quam derivationem dicit *putidam* Juſtus Lipſius

 Lib.

Lib. 1. Electorr. c. 8; Planè incongrua quoque est Isidorii *lib. 20. c. 3.* originatio, à nonâ horâ, quâ Romani veteres ad cibos advocaverint. Alii ab anno derivant, vel quod in annum custodiatur; vel quod ex anni proventibus sumatur; vel quod ad annuum victum requiratur. *Franc. de Amaya comm. in L. X. Cod. tit. d. annon. & trib. n. 11* Nec infrequês est apud vetustos scriptores, quod *annus* pro *annonâ* dicatur: *uti notat Thomas Dempsterus ad Rof. antiq. Rom. l. 7. c. 38.* Usurpatur etiam vox *annona* in libris ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ (*sequentibus Modestinum JCtum in l. 1. § 1. d. excus. tutor.*) *Tit. περὶ νόμȣ Ιȣλίȣ περὶ ἀννόνας l. b. 60. tit. 41. (rectiùs: ἀννώνας: uti alibi legitur apud Suidam dicentem: ἀννῶνα, ῥωμαϊκὴ λέξις.)* Aliàs verò in iisdem Græcè redditur: *ἐνϑηνία; d. lib. 60. tit. 4. leg. 1. & seqq. & lib. 19. tit. 18.*

III. Significat verò annona vel (1.) latiori sensu quosvis fructus in genere ad victum pertinentes, ut frumentū, vinum, carnem & alia edulia *l. 11 & 1. 1. C. de erogat mil. annon. Lib. XII. l. 1. C. de offic. praef. urb. junct. l. 1. § 11. D. eod. P. Rebuff in l. 77. de V. S.* *Ita quoq; apud Ciceronem sumitur Lib. 2 de divinat. verbis: Si Epicuri de voluptate liber corrosus esset; putarem annonam in macello cariorem fore. Et apud Columellam dicitur lactis annona.* Vel (2.) denotat strictiori significatione frumentum, seu annuos terræ proventûs, Getreidig/Frucht/*vidi Coler. de process. execut. p. 3. c. 9. n. 155. Wehner. voc.* Getreidig. Vel (3.) strictissimè sumuntur *annonæ* pro *panibus*; seu certâ definitâq; cibariorum ratione, quæ vel salarii vel præmii loco præstabatur; vel aliàs acquirebatur: ut apud Lampridium in Alexandro: *Medicus*, dicit ille, *sub eo unus Palatinus salarium accepit: cateri, qui usq; ad sex fuerunt, annonas binas.*

aucc

aut ternas accipiebant &c. Ubi monet Salmasius *annonas* multitudinis numero panes tantùm significare: quod licet fortè plerumque obtineat, perpetuum tamen non esse, alii rectè observârunt. *Fr: Amaya d. l. nu. 4. Gualt. Donaldson: œcon: cap. 10. pag. 65. Vide etiam de his annonis l. 1. C. di præf. Prætor. Afric. l. 11. C. Theod. de medic. & profess. l. 1. C. de ann. civili ib. l. 12. C. de erogat. mil. ann. L. XII. quam exponit Pancirol. ib. v. l. c. 31.* Porro, cum quædam tributa pêsitentur collatione annonæ, ut frumenti, vini, & aliorũ fructuum, *l. 1. §. 2. l. 18. §. 8. de muner. l. 32. §. 6. de admin. tut. l. 28. de usufr. legat. l. 9. C. de susceptor. & arcar. Lib. X.* Hinc annona etiam accipitur pro illo tributo, in eis rebus consistente, & aliis tributis, in specie ita dictis, quæ collatâ pecuniâ, auro, argento, vestibus, equis, præstantur, opponitur *t. 1. C. de annonis & tributis Lib. X. ubi Fr. Amaya n. 5.* Dicitur aliàs illud in annonâ consistens tributum, *annonaria collatio l. 1. C. de præscr. 30. ann. l. 2. C. si propter publ. pensit.* & *debitum ex caussâ annonariâ l. 46. §. 5. de jur. fisc.* necnon *annonaria functio l. 7. in fin. C. de fer.*

IV. Singularem verò curam Romani annonæ s. rei frumentariæ impenderunt & non solum exercitum militum annonâ diligenter instruxerunt, sed etiam ne fame laboraret plebs prospexerunt, cui annonam quandoque gratuitò exhibuêre, quandoque viliori pretio dederunt. *Vid. Thom: Dempsterus in lib. 7. antiq. Rom. Rosin. c. 38.* Hujus frumentariæ largitionis, *quam Græci σιτηρέσιον dicunt*, originem antiquissimam esse, & ferè semper conciliandæ plebis caussâ factam docet J. Lipsius *d. libi 1. Elect. c. 8.* Ita eam statim post Reges ejectos adhibitam tradit Livius *l. 2. histor. Multa*, inquiens, *blandimenta plebi per id*

tempus ab Senatu data: annonæ inprimis habita cura, & ad frumentum comparandum missi, alii in Volscos, alii Æquos. Et quidem initio videtur illa largitio voluntaria, indeterminata ac in arbitrio Senatûs fuisse: posteà verò Tribuni varias leges frumentarias tulerunt, uti videre licet apud Lipsium *d. l.* §. *Exorti mox Tribuni.* Guid. Pancirolum *in notit. Imper. occid. c. 5. Conf. Marc. Vertran. Maur. de jur. liber. cap. 16.*

V. Translatâ deinde summâ potestate ad Impp. itidem variæ constitutiones de hâc re frumentariâ promulgatæ, & numerus frumentantium s. frumentum accipientium definitus. De Julio Cæsare Suetonius *c. 41.* scribit: *Recensum populi, nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit: atq; ex viginti trecentisq; millibus accipientium frumentum è publico, ad centum quinquaginta retraxit. Ac ne qui novi cœtûs recensionis caussâ moveri quandoq; possent, instituit, quotannis in demortuorum locum ex his qui recensiti non essent, subsortitio à prætore fieret.* Et de Augusto Tacitus *lib. 1.* ait: *Militem donis populũ annonâ, cũctos dulcedine otii pellexit.* Sic quoq; Suetonius *in Aug. c. 40.* scribit: *Populi recensum vicatim egit: ac ne plebs frumentationum caussâ frequentiùs à negotiis avocaretur, ter in annum quaternûm mensium tesseras dare destinavit: sed desideranti consvetudinem veterem concessit rursus ut sui quisque mensis acciperet.* Ut & *c. 41. Frumentum in annonæ difficultatibus sæpe levissimo, interdum nullo pretio, viritim admensus est.* Et de hoc Imp. Augusto ulteriùs ostendit J. Lipsius d. l. quod numerum eorum, qui frumentum caperent, auxerit. Sub Impp. verò sequentibus paulatim sine discrimine admissos omnes tenuiores cives colligit Idem ex Senecæ *l. 4. de benef. c. 28.* verbis: *Frumentum*

tum publicum tam fur, quàm perjurus & adulter accipiunt: & sine dilectu morum, quisquis civis est. De Nervâ Dio *l. 68. init.* scribit: *Civibus Romanis, qui in summâ erant egestate, agrum dedit ad sexcenties sestertium, ejus agri emtione divisioneq; quibusdam viris senatorii ordinis imperatâ.* Peculiariter Trajanus Imp. instituit, ut quinque millia impuberum ex publico alerentur: referente Plinio *in Panegyr.* quem numerum Adrianus & Antoninus auxerunt, ut Capitolinus memorat: Fuére autem alimenta usque ad XVIII. annos pueris suppeditata, uti constat ex *l. 14. §. 1. de aliment. & cib. legat.* quod ipsum à Commodo Imp. primùm per annos IX. intermissum, à Pertinace sublatum fuisse tradit Idem Capitolinus. Porro Severus Imp. ut *in Heliogabalo* autor est Lampridius, moriens VII. annorum Canonem Romæ reliquit, ita ut quotidiana LXXV. millia modiorum expendi possent: & dederunt posteà principes posteriores operam, ut frumentum pecuniâ publicâ comparatum in urbe abundaret. *Guid. Pancirol. in notit. Imper. occid. c. 5.*

VI. Distributi quoque aliquando panes: quibus unciam addidit Aurelianus, ut quâdam Epistolâ datâ ad Præfectum annonæ ipse gloriatur, quam refert Flavius Vopiscus *in Aurelian. circ. fin.* his verbis: *Aurelianus Augustus Flavio Arabiano præfecto annonæ. Inter cætera, quibus diis faventibus Romanam rempublic. juvimus, nihil mihi est magnificentiùs, quam quod additamento unciæ omne annonarum urbicarum genus juvi: quod ut esset perpetuum, navicularios Niliacos apud Ægyptum novos, & Romæ amnicos posui. Tiberinas exstruxi ripas; vadum alvei tumentis effodi: diis & perennitati vota constitui, almam Cererem consecravi. Nunc tuum est officium Arabiane jucundissime, elaborare, ne*

mea

mex dispositiones in irritum veniant. Neq; enim populo Romano saturo quidquam potest esse lætius. Atque huc quoq; pertinet Impp. Valentiani & Valentis AA. constitutio, quæ legitur in Codice Theodosiano: *Ne pessimus panis populi Romani usibus ministretur, sola ducentena millia modiorum frumenti integri atq; intemerati juxta priscum morem, mensores & caudicarii levioribus pretiis pistoribus venundare cogantur. Lib. XIV. tit. de canon. frument. urb. Rom.* Vendebatur nim. pistoribus leviore pretio, ut plebs rursus ab iis vilius posset emere. *Pancirol. d. l.* Iidem Impp. plures hâc de re tulêre constitutiones, quas videre licet in Codice Theodosiano *d. tit.* Vocatur iste panis gradilis *d. tit. C. Theod. de annonis civicis & pane gradili*, quoniam à Præfecto annonæ in alto tribunali „ ad quod per gradûs ascendebatur„ distribui consveverat. *Pancirol. c. 5. Add. Lips. d. l.* Cum enim unus locus ad dividendos inter tantam plebem panes non sufficeret & res ipsa svaderet, ut in altiori loco distributores liberi essent à premente turba: videntur in singulis urbis regionibus grâdus ad hanc divisionem erecti. *Joh Gul. Stuck. antiq. conviv. l. 1. c. 35.* Unde Valentinianus & Valens Impp. ita rescripsêre: *ne quid super gradili pane fraudis oriretur, jussimus omne illud, quod populo penditur, palam in gradibus, non clam à Pistoribus ministrari. Add. Pancirol. in notit. imper. orient. c. 26. Anton. Perez. in Cod. de annon. civil. n. 1. 2. 3. L. XI.*

VI. Erogatio & cura hujus annonæ certis erat demandata magistratibus: & quidem C. Julius Cæsar duos Ædiles, qui frumento præessent, à Cerere dictos *Cereales*, noviter constituit, uti refert Pomponius *l. 2. §. 32. de O. J.* & tradit quoque Dio Cassius *lib. 43. in fin.* His successit Præfectus annonæ, cujus meminit idem Pomponius *d. l. 2. §. 33.*

2.§.33.Ejusdēq; officiū & excellentiam latiùs describit M. Aurel.Cassiodor9: *Si ad hanc*,dicens, *mēsurā censenda sunt dignitates, ut tantò quis honorabilis habeatur, quantò civibus profuisse cognoscitur, is certè debet esse gloriosus, qui ad copiam* (i.e.alimenta & annonas ut in l.4. C. Theod.d. oper. publ. l.20.d. compensat. & apud Valer. lib.27. c.22.) *Romani populi probatur electus. Tui siquidem studii est, ut sacratissima urbi preparetur annona, ubiq; redundet panis copia, & tam magnus populus, tanquam unâ mensâ satietur. Per officinas Pistorum cibosq; discurris, pensum & munditiam panis exigis, nec vile judicas esse, unde te possit Roma laudare. &c. Et ne quod agis aliquid putetur extremum, carpentū Præfecti urbis mixtâ glorificatione conscendis. Tu illi in spectaculis conjunctissimus inveniris, ut plebs, quam industria tua satiat, in suam reverentiam te honoratum esse cognoscat. Nam si querela panis, ut assolet, concitetur, tu promissor ubertatis seditiones civicas momentaneâ satisfactione dissolvis: & per te prospicitur, ne quid à populis conquirentibus excedatur. &c. Ne quis autem putet, abjectis te hominibus imperare, dignitati quoq; tuæ pistorum jura famulata sunt, quæ per diversas mundi partes possessione latissimâ tendebantur: ne inopiâ faciente vilesceret, quod Romanæ copiæ laudabili famulatione serviret &c. In fraudulentos distringe: panis pondera æquus examinator intende: solicitiùs auro pensetur, unde à Quiritibus vivitur. Quia gratior nobis est lætitia faventis populi Romani, quàm copia pretiosissimi metalli. &c.* Hunc apud Præfectum depositas fuisse tabulas publicas, in quibus descripta nomina eorum, quibus deberetur frumentum, scribit Joh. Gul. Stuck. *antiq. convivial. l. 1. c. ult. p. 133. in fin.*

IIX. Quamvis verò Pomponius dicat, Præfectum annonæ magistratum non esse *l.2.§.33 d.O.J.* Id tamen

vel cum Pancirolo *in not. imper. occid. c. 5. circ. fin.* intelligendum de initio illius præfecturæ; vel cum Antonio Perezio *in C. de apparit. præfect. annon. l. 12. n. 1.* & aliis explicandum, quod non fuerit præfectus annonæ ordinarius magistratus, sed extra ordinē utilitatis caussâ, ne populum annonæ penuria urgeret, constitutus. Jus eū inter Pistores, nautas, mensores, frumentarios, & frumenti negotiatores dixisse constat. *l. f. quod cum eo qui in alien. pot.* apparitores quoque iste separatos habuit: *t. t. C. de apparit. præf. ann. L. XII.* Potestatem etiam ipsi competiisse in eos, qui in annonam deliquēre patet ex *l. f. § f. de L. Jul. d. annon. Panci rol. d. c. in fin.*

IX. Creati prætereà curatores annonæ, qui pecuniam ad annonam destinatam exigeret, & ex proventibus publicis annonam compararet, colligeret & asservaret *l. 9. §. 5. de admin. rer. ad civit. pertin.* Hos Græci σιτώνας *i. e. frumentarios,* (ἐκ τοῦ τὸν σῖτον ὠνεῖσθαι *ab emendo frumento*) & ἐλαιεμπόρους, vel *ut in Pandectis Florentinis legitur* ἐλαιώνας *i. e. olei coemendi curatores,* dicunt *l. f. §. 5. d. mun. & honor. d. l. 9. §. 6. de admin. rer. ad civit. pertin.* Et munus hocce Modestinus σιτωνίαν & ἐλαιωνίαν *i. e. frumenti ac olei emendi curam* vocat *l. 6. §. 8. de excus. tut.* nec non Ulpianus in *l. 2. pr. de vacat. & excus mun.* atque occurrit etiam ista appellatio in *rubr. & l. ult. C. ut nem. lic. in emt. spec. sc. excus. ubi add. Fr. Amaya & Perez.* Et refertur inter munera personalia *l. 1. §. 2. l. f. §. 5. de mun. & hon.* Illis curatoribus videtur præfuisse centurio, vehendi condendiq; frumenti curam habens, de quo scribit Scævola, quod missus ex officio annonæ culleos ad annonam, quos Sejus in horreo haberet, sustulerit. *l. f. §. 1. de pign. action.* Ad dividendam porro inter plebem annonam

viden-

videntur & ædiles constituti *l. 17. de compensat. Pancirol. tract. de magistr. municipal. cap. 12. Conf. Gulielm. Stuck. d. l. 2. c. 35. & Wilhelm. Possard. de magistr. Atheniens. p. 509. & 510. ubi recensent eos, qui apud Græcos, quos Romani studiosissimè fuêre imitati, rei frumentariæ præfuerunt.*

X. Adhibebantur autem ad annonam distribuendam tesseræ. Dabant enim Præfecti annonæ non ipsum frumentum, (quippe quod vile & molestum munus fuisset,) sed tesseras frumentarias sive symbola, & certa signa: quæ posteà mensoribus exhibebantur, & ab his frumentum ex horreis publicis erogabatur *Novell. 88. c. 2. junct. l. 1. C. d. condit. in publ. horr. L. X. l. ult. C. de frum. Alexandr. Adrian. Turneb. advers. l. 19. c. 26. l. 27. c. 18. & l. 29. c. 9.* Fuisse illas tesseras, *quas Justinianus Imp.* ψήφες *d. Nov. appellat*, ex ære, & modum annonæ, atque percipientis nomen ipsis incisum, discimus ex Codice Theodosiano *l. 5. de annonis civilis & pane gradil.* Fit illarum etiam mentio *in l. 52. §. 1. d. judic. l. 49 §. 1. l. 87. pr. d. legat. 2. Add. aph. 11.* Quandoque ut alia missilia, ita & istæ tesseræ spargebantur: uti memorat Suetonius *in Nerone c. 11.* Add. Turneb. *d. c. 9.*

XI. Modus atque numerus istius largitionis frumentariæ definitus, & certâ regulâ s. normâ comprehensus dicebatur *Canon. Luc. de Penn. in rubr. C. de can. frum. urb. Rom. L. XI. Stuck. d. l. 1. c. 35.* Ita legitur in Codice Tit. *de canone frumentario urbis Romæ:* h. e. ad populum Romanum alendum destinato. *Cujac. in d. l. Perez. ibid.* & de canone populi Constantinopolitani agitur *tit. d. frumento urbis Constantinopolitanæ. C. L. XI.* Est enim & huic, æquè ac Romano, annona gratuitò data. *Cujac. in d. t. Add. tit. C. de frum. Alexandr. L. XI.* Cæterum non tantùm

tùm frumentum, sed etiam caro civibus distributa: cujus distributionis principium videtur Flavius Vopiscus adscribere Aureliano Imp. quando *in ejus vitâ* dicit: *Idem & carnem porcinam P. R. distribuit, quæ hodièq; dividitur.* Hinc & Suarii constituti, de quibus *l. 1. & 2. C. de Suar. L. XI. & latiùs in C. Theod.* Similiter & vinum Aurelianus dare cœpit, ut idem tradit Vopiscus: *statuerat*, inquit, *& vinum populo gratuitum dare, ut quemadmodum oleum, panis & porcina gratuita præberentur, sic etiam vinum.*

XII. Ad liberalitatem istam *panes civiles* pertinent qui sunt reditûs certi, quibusdam præmii, vel salarii loco, aliàve ex ratione, in panibus, *aut frumento, aliaq; annonâ*, præstiti. *Alciat. Parerg. l. 8. c. 5. Conf. l. 12. Cod. de SS. Eccles. l. 1. C. de annon. & capit. & l. 1. C. de annon. civil. L. XI. ibiq; Cujac. N. 24. c. 1. N. 13.* Illi panes dari poterant in dotem *l. f. §. f. C. de jur. dot.* item legari *l. 12. C. de her. instit.* Unde etiam, *præsertim cum inter immobiles res N. 7. præfat. numerentur*, in feudum eos dari posse tradunt interpretes. *Zas. part. 4. num. 144. & seqq. Sonsbeck. de feud. part. 8. nu. 25.* Similiter legimus tesseras frumentarias emtione transferri *l. 87. pr. de legat. 2.* ubi Titia in testamento voluit, Sejo tesseram frumentariam comparari: quam cum aliunde Sejus ex caussâ lucrativâ haberet, damnatur heres æstimationem tesseræ præstare, quoniam tale fideicommissum magis in quantitate, quàm in corpore consistit: *Add. Franc. Mantica d. conject. ment. def. l. 9. tit. 9 Franc. de Barr. d. success. l. 9. tit. 6. n. 8. Covarr. 4. resol c. 1. n. 12* h. e. non tam corpus, quàm æstimatio videtur legata *l. 49. §. 1. eod.* quia tessera necessario ab herede est emenda, & non potest res præstari, nisi æstimatione solutâ comparetur. Quæ tesseræ cum Romæ, non in provinciis,

emi

emi potuerint: ideò dicit Ulpianus *l. 52. §. 1. de judic.* legatum tesseræ Romæ debere solvi: etiamsi major pars hereditatis in provinciâ sit. *Bud. in d. l. Pancirol. in not. Imper. occid. c. 5. Donell. 17. comm. 15. add. N. 88. c. 2.*

XIII. Hæc de largitione frumentariâ plebi factâ, & annonâ civili: Attingenda nunc annona militaris, quæ ut militibus erogaretur, & ad exercitum deferreretur Romani diligenter prospexerunt: lege sis hâc de re *tot. tit. C. de erogat. milit. annon. & tot. tit. C. de excoct. & translat. milit. annon. L. XII. jung. l. 20. l. 21. C. de SS. Eccles. N. 130. Luc. de Penn. in d. tit. L. 12. Anton. Perez. ibid. Franc. de Amaya in lib. 10. C. de annon. tribut. l. 6. Petr. Gregor. l. 9. c. 6. Paul. Christin. dec. cur. belg. vol. 5. dec. 139. & 140. Carol. à Mansfeld. magister. milit. tract. 2. part. 1. c. un. §. ult.* Singularis quoque in constitutionibus nostri imperii annonæ militaris habetur ratio: R. A. zu Augspurg. *d. An. 1566.* §. Als auch die Churfürsten. *& §§. seqq. d. A. 1530.* §. Ferner ist vor gut angesehen. R. A. zu Regenspurg *d. Ann. 1532.* §. Und nachdem die hohe/ R. A. zu Speyer. *d. A. 1532.* §. Wir haben auch / *&* §. Wir sollen und wollen auch. *&* §§§. *seqq.*

XIV. Comparabatur illa vis frumenti ex provinciis, è Siciliâ, Sardiniâ, & præsertim Africâ atque Ægypto, quæ bina horrea Pop. Romani: *uti pluribus exponit J. Lipsius d. l. 1. Elect. c. 8. Thom. Dempsterus in l. 7. antiq. Rossin. c. 38.* Quam ob rem constitutus quoque Præfectus annonæ Africæ, qui frumenti illic colligendi, & Romam transmittendi curam haberet, de quo legas Pancirolum *in notit. imper. occident. c. 66.* Hanc etiam ob caussam Romani aggerum Nili diligentem habuêre rationem: Vel ideò quòd alveos à singulis regionibus Ægypti ære

 publi-

publico in Nilum ducendos curaverint, quibus frumenti ingens copia Alexandriam ac demum Romam conveheretur: adeoque maximè reipublic. interfuerit, ne aggeres Nili, qui erant alveorum ripæ, rumperentur: *uti quidem nili aggeres exponit Wilhelmus Possardus de magistrat. Athenienf. c. 15. f. 510. 511.* Vel, *ut aliàs explicari solet*, quod, cum Ægyptus non pluviis sed Nilo fœcundaretur, placuerit aquam Niloticam aggeribus coerceri, ne effunderetur antè, quàm incrementum XII. cubitum excesserit: & hinc in ruptores aggerū pœna statuta *l. pen. de extraord. crimin. l. un. C. d. Nil. agger. non rump. Add. Perez in d. t. C. Christin. dec. cur. belg. v. 4. dec. 203. n. 7. Ant. Matth. tract. de crimin. l. 47 tit 5. c. 3.*

XV. Erat verò in urbe Româ certum corpus naviculariorum s. nauclerorum, *(h. e. dominiorum navis s. exercitorum l. 1. §. 13. d. exerc. action.)* quorum aliqui annonæ urbis serviebant: & species annonarias *h. e. vinum, oleum, frumentum, leguminal. ult. §. 3. d. mun. l. 26. §. 1. C. de usur.* transferebant *l. 1. C. de navicul. Lib. XI.* Atque hi, ut & ipsi nautæ transportantes species publicas publicâ securitate erant muniti *d. l. 1. ubi add. Peck. Vinn. Christin.* Habebant etiam naucleri immunitatem à cæteris muneribus, & huic duntaxat functioni naviculariæ obnoxii erant *l. 5. §. 3. d. jur. immin. l. de muner.* ratione cujus functionis omnia prædia & res ipsorū pignori tacitè erant obligata *t. t. C. de præd. & omnib. reb. navic. L. XI. Add. Fr. de Amaya in C. de annon. & trib. num. 58.* Propter illud ministerium annonæ dicit Ulpianus præfectos & præsides juvare extra ordinem exercitorem ex contractu magistrorum *l. 1. §. 18. d. exerc. action.* non quidem datâ ei actione, sed extraordinariâ cognitione, ut fieri solet in causis favorabilioribus

bus, quoties actio ordinaria magis, quàm æquitas deficit *l. 1. & t. t. de extraord. cognit. l. 24. §. ult. de minor. Vinn. in d. §. 18.* Neque tantùm naviculariis propter rei annonariæ favorem, & quia reip. caussâ abesse videntur *l. 5. §. 3. de jur. immun.* sed etiam navibus ipsis, quibus annona advehitur, immunitates concessæ. *d. l. 5. §. 5. de jur. immun. l. 3. de vac. & exc. mun. Vinn. in d. l. 1. §. 18. d. exert. act. lit. d.* omnium autem naves, nullâ obstante dignitate vel privilegio, transvectioni annonæ publicæ inservire tenentur. *t. t. C. de navib. nõ excus. L. XI. ubi add. Luc. de Penn. Perez. Peck. & Vinn. qui bene explicat vocem: Embolam: in l. ult. d. t.* Sed quæritur hîc: an nave ad exercitum missâ, vel equis, amissis, Princeps teneatur restituere æstimationem? Et non teneri dicunt, cum munus sibi impositum præstet nauta vel alius subditus. Quodsi verò onus hoc non ipsum, sed universitatem respiciat: tunc æquum est per eam succurri *Luc. de Penn. in l. 2. C. de navibus non excus. Petr. Peck. ibid. n. 4. Paul. Christin. dec. cur. belg. v. 5. dec. 63. n. 10. & seqq.*

XVI. Asservabantur species annonariæ in horreis publicis, & ex illis plebi ac militibus erogabantur: *Vid. t. t. C. de condit. in publ. horr. ibiq. Luc. de Penn. Franc. de Amaya & alios.* Hinc frumentum & alia annona, in iis reposita, uno vocabulo substantivè *Condita* dicuntur *l. 4. l. 5. de erog. mil. ann. Fr. de Amaya in d. t. d. cond. in publ. horr. n. 12.* Hujusmodi publicorum horreorum cura Præsidi injuncta *l. 2. C. d. tit.* Constituti quoque Comites, curatores s. Præpositi horreorum *l. 2. 6. C. de suscept. & Prepos. L. X.* Appositus etiam horreis custos ac mensor, cujus officium describitur in *l. 1. eod. Add. Johan. Francisc. Ripa tract. jurid. de peste c. 5. num. 11. & seqq.* Habuere

buere isti mensores Romæ collegium, ac pluribus privilegiis sunt ornati *l. 10. §. 1. de vacat. mun.* (*ubi rectiùs cum Haloandro legitur mensorum*) *l. 26. de excus. tut. l. un. C. Th. de mensor.* Nominantur etiā Portuenses *l. 9. C. Th. de suar.* quia horrea erant in portibus Tiberis: & Caudicarii *l. 1. C. Th. de can. frum. urb. Rom.* quia naves, quibus annona advehabatur dictæ *caudicariæ: à caudice*, quo nomine veniebat apud antiquos contextus plurium tabularum. *Fr. de Amaya in d. t. C. l. 1. n. 31. & in t. C. ut nem. lic. in emt. specier. n. 48.* Cæterum in *d. l. 1. C. de cond. in publ. horr.* inter alia dicitur, *mensores debere frumentum vetus corruptum cum novo miscere, ut hujus adjectione corruptio velata damnum fisco non faciat.* Quod intelligendum cum sæpius laudato Francisco de Amaya, (*qui aliorum explicationes bene examinat*) de superius à nobis expositâ largitione frumentariâ. Cum enim ex liberalitate plebi annona exhiberetur, licitè potuit talis mixtio fieri: neque ex suâ largitate conveniendi Impp. quod corruptum exhibuerint frumentum, quia liberum eis fuit non dare. *add. l. 2 C. de evict.* & potuit illa mixtio facilius fieri, cum jam Valentiniani & Valentis, *quorum est d. l.* tempore panis coctus, *sec. rescriptum Constantini l. 1. C. de frum urb. Constant.* præberetur. Cum igitur in casu speciali liberalitatis Principalis loquatur hæc lex, non rectè inde concludunt *Bobadill. 3. polit. c. 3. n. 40. 50. Anton. Perez. in C. d. t. n. 13. & alii.* quod possint subditi cogi, ut emant frumentum publicum corruptum.

XVII. Ubertas hujus publicæ annonæ tum ex prædiis & agris publicis *l. 2. §. 1. de administr. rer. ad civ. pertin.* tum cumprimis ex tributis collecta, quæ tributa in speciebus s. ipso frumento & aliâ annonâ præstabantur: de

quâ

quâ annonariâ collatione agitur in *l. 9. C. de susceptor. l. 2. 4. 6. 7. C. de annon. & trib. L. X ubi add. Amay.* & in *Nov. 128. vid. Pancirol th. var. lect. l. 3. c. 31. p. 489.* Præterea etiam pecuniâ publicâ, tributis collectâ, annona coëmta *t. t. C. ut nem. lic. in coëmt. spec. se excus. L. X. ubi add. Amaya. n. 15.* Notabis hîc, quod ex caussâ frumentariâ reipubl. debitores præcisè teneatur solvere, nec exceptionem compensationis opponere possint *l. 3. l. 7. C. de compensat. l. 46. §. 5. de jur. fisc. Luc. de Penn. in C. de ann. & trib. L. X.* Nec habeant dilationem quatuor mensium, quæ aliàs conceditur, sed statim solvere debeant, quia pecunia frumentaria moram solutionis non patitur *l. 2. §. 3. de admin. rer. ad civit.* Sic etiam appellatio in caussâ annonariâ non recipitur *l. ult. pr. de appell. recip. vel non.* ac ob eundem annonæ favorem, necessitatem atque utilitatem, caussæ Pistoriæ feriatis diebus tractari possunt *l. 5. §. 1. C. de fer.*

XVIII. Atque hæc de publicâ annonâ Romanorum ad quarundam legum faciliorem intellectum delibâsse sufficiat. Aliàs verò in genere ad curam annonæ spectat, 1. ut prospiciat respubl., quò justo vendatur annona pretio: *l. 1. § 11. de offic. Praef. urb. ubi Bart. l. 1. C. eod. l. 1. C. de episc. audient. ubi add. August. Barbos n. ult. c. 1. de emt. vend* & carnes exagio (*h. e. trutinæ examine*) vendantur, non oculorum libertate pondus quæratur: *uti loquitur l. 4. C. Th. de suar. & suscept. vin. L. XIV.* Hinc Jacobus Augustus Thuanus *l. 8. histor.* scribit: *Sancitum est, petito à Græcis & Romanis exemplo, ut lanii ubiq; in Galliâ carnes exagio vendere, pretio à magistratibus in libras singulas constituto teneantur &c.* Pertinet quoque huc constitutio Friderici I. Imp. *II. f. 27.* cujus verba sunt: *Post natalem S. Mariæ* (h. e. post Cal. Septemb. quo tempore fruges & annona ple-

raque collecta) *unusquisque comes septem boni testimonii viros sibi eligat: & de qualibet provinciâ cum ipsis sagaciter disponat: & quanto pretio secundùm qualitatem temporis sit annona vendenda, utiliter provideat. Quicunque verò contra deliberationem ipsius intra anni terminum altiùs modium & cariùs vendere præsumserit, tanquam violator pacis habeatur, & totidem viginti libras comiti exsolvat, quanti modios s. maldios altiùs vendidisse convictus fuerit.* Quam constitutionem laudat Andreas Dinnerus *de just. rer. pret. defin. q. 4.* ita exclamans: *ô constitutionem orbi Christiano salutarem, si seculi nostri avaritia, & ψύξις extrema caritatis, si monopoliorum impunita licentia in usu eandem habere permitterent. Verùm ita est ut Comicus in Trinumm. ait: Mores leges perduxerunt in potestatem suam.*

XIX. Non solùm autem ad majestatem hæc cura pertinet, sed etiam ad municipia *Matth. de Afflict. in c. 1. §. 4. de pac. tenend. 2. f. 27. Andr. Dinner. de just. pret. defin. q. 3. n. 3, Balth Conr. Zahn de jure municip. c. 81.* Sic apud Romanos ab ordine decurionum episcopus s. inspector præficiebatur, qui præesset pani & cæteris venalibus rebus, quæ civitatum populis ad victum usui sunt. *l. f. §. 7. de mun. & bon. vid. Pancirol. de magistr. municip. c. 13.* Non obstat *l. ult. §. 1. d. L. Jul. de annon. ubi dicitur, jus ordini cujusque civitatis non esse, pretium grani, quod invehitur, statuere.* Responderi namq; potest, quod solùm decurionibus, quippe quorum officiũ non adeo amplum, ibi denegetur potestas definiendi pretiũ. *Dn. Hahn ad d. t. n. 4.* vel quod prohibeatur, ne in fraudem invehentiũ anonã, pretium statuatur, *Add. Bartol. in d. text. Purpur. cons. 428. n. 34 Rip. d. tract. c. 4. n. 197. Christin. in consv. Mechliniens. tit. 2. art. 27. n. ult.*

XX.

XX. Deinde (2.) aliquando expedit reipublicæ prohiberi, ne annona exportetur *arg. l. 11. §. de public. & vectig. l. 6. C. de ædif. privat. l. 1. & 2. C. quæ res exp. non deb. l. 4. C. de commerc. & mercat.* Neque contrariatur hujusmodi prohibitio juri gentium, quo commercia dicuntur esse libera; nec ordinationi Rec. Imperii d. A. 1555. §. Setzen demnach/ *ubi dicitur:* daß keiner dē freyē Zugang/ der Proviant/ Narung und Gewerb dem andern abstricken und auffhalten soll: cum ex justâ caussâ rectè sec. ipsum jus naturæ & gentium restringantur commercia, & potiùs incumbat magistratui, ut annonæ penuriam à suis civibus avertat, quàm aliis prosit. Sicut enim, *ut Claudius Imp. dicit, l. 6. C. de servit.* durum & crudelitati proximum, ex tuis prædiis aquæ agmen ortum, sitientibus agris tuis, ad aliorum vicinorum usum propagari. Ita multò magis durum esset admittere, ut ex provinciâ nostrâ annona in alia loca transveheretur, quâ posteà ipsa indigeat. *Add. Menoch. 2. cas. 585. Lose. de jur. univ. p. 3. c. 15. n. 23. Guid. Pap. dec. 373. Christin. dec. cur. belg. v. 3. dec. 60. n. 2. 5. Perez. in C. ut nem. lic. in coemt. L. 10. n. 2. Dinner. d. tract. q. 3. Ripa d. tract. c. 5. n. 42. ad 139. ubi plures hâc de re quæstiones tractat.* Non verò licita est hæc prohibitio, si necessitas & publica utilitas eam non exigat. *Caspar. Klock. tr. de contribut. c. 1. n. 356. 371. & cons. 29. num. 1007. 1008. & cons. 48. n. 45.*

XXI. Porro (3.) rectè subditis injungit magistratus, ut imminente caristia tempestivè annonam, etiam in locis remotis emant *Joh. Sichard. ad l. nec emere. C de jur. debit. Kœpp. d. 59. n. 18. Rutg. Rulant. de commiss p. 4. l. 4. c. 7. n. 45. Dn. Carpzov. 1. resp. 42. n. 15. Perez. in C. d. l. num. 3.* Licèt enim regulariter nemo invitus ad emendum compelli possit. *l. 16. C. de jur. deliber.* ob publicam tamen utilita-

ſitatem & annonæ neceſſitatem ejusmodi mandato meritò reipublic. & ipſorum ſubditorum commodo providetur. *dd. Aut.*

XXII. Similiter etiam (4.) in annonæ caritate quis compellitur ad vendendum annonam: etiamſi aliàs eam non habeat venalem. *arg t. t. C. ut nem. lic. in emt. ſpec. ſe excuſ. L. X. ubi cleg. Fr. de Amaya n. 6. & ſeqq.* Quamvis enim itidem regulariter nemo rem ſuam cogatur vendere *l. 11. 13. 14. C. de contr. emt. l. 9. C. de Jud. & collect. l. 70. de R. V.* obligatur tamen is, qui annonâ abundat, tempore neceſſitatis eam vendere, & alterius inopiam ita ſublevare: adeoque rectè ad hoc ipſum à magiſtratu adigitur. *Bartol. in l. 1. Cod. de epiſc. audient. Fabian. de Mont. d. emt. vend. q. 3. pr. n. 39. fall. 3. Fr. Rip. d. tr. de peſt. c. 4. nu. 188. Mynſ. 8. obſ. 27. Surd. de aliment. t. 1. q. 77. nu. 6. & §. 8. q. 94. Aug. Barboſ. & plur. alleg. in d. l 1. C. de epiſc. aud. Fr. de Amaya in d. c. ut nem. lic. in emt. ſpec. n. 1. & ſeqq.* Diximus eum ad vendendum eſſe obſtrictum, qui annonâ abundat: qui namque pro ſe tantum & familiâ ſuâ aliquam frumenti copiam comparatam habet, eam aliis vendere non tenetur. *Steph. Gratian. diſc. for. tom. 1. c. 149. nu. 42. Schneidevv. ad § f. n. 8. I. de emt. vendit. Perez. in d. t. n. 10.* Cæterum etiam ad eleemoſynam tali caſu divites, ne pauperes fame pereant, poſſunt compelli *arg. d. l. 1. Covarr. 3. var. reſ. 14. n. 5. Azor. inſt. mor. l. 12. c. 13. q. 3. Tiraq. privil. piæ cauſſ. 149. Barboſ. d. l. n. 8. 11. Add. Gabr. Vazquez. tract. de eleemoſyn. c. 1. dub. 5. Martin. Bonacin. de reſtit. diſp. 3. q. 4. punct. 6. Joh. de Dicaſtill. de juſt. & jur. l. 2. tract. 2. diſp. 9. n. 218. & ſeqq.*

XXIII. Præterea (5.) favor annonæ ſingularis exigit, ut illam advehentes vel promoventes, ſi fidem de pretio

habue-

habuerint, non ultra quam sponte dilationem concedant, cogendi sint exactionem differre, ac illis cessionis aut moratorii exceptio opponi nequeat. *Faber. in C. lib. 1. t. 9. def. 11. n. 4. def. 20. n. 11. Choppin. de privil. rustic l. 2. c. 9 Boer. dec. 296. Rebuff. d. lit. dilat. n. 45. Dn. Dav. Mævius discuss. levam. inop. debit. c. 6. n. 90.*

XXIV. Denique ad necessariam annonæ curam pertinet, ut crimen fraudatæ annonæ coërceatur: de quo lata quoque est Lex Julia *tit. d. L. Jul. de annon.* & refertur inter crimina publica *l. 1. d. publ. judic.* Committunt autem illud crimen, qui contra annonam faciunt, h. e. annonæ abundantiam, & quò minus justo vendatur pretio in republ., dolosè impediunt: ut qui societatem contrahunt, quò annona carior fiat *l. 2. pr. d. L. Jul. de annon.* qui navem, nautamve annonam advehentem retinent, aut dolo malo faciunt, quò magis detineatur *d. l. 2. §. 1.* qui annonas coëmunt & supprimunt ut cariori eam pretio vendere possint *l. 6. d. extr. crimin. vid.* Policey-Ord. zu Franckfurth. *d. A. 1577. tit. 18.* die *monopolia*, die schädliche Auff- und Fürkauff belangend, qui fructûs prædiorum suorum (*in damnum aliorum* gefährlicher weise) æquis pretiis vendere nolunt, dum minus uberes proventûs exspectant. *l. 6. de extraord. crimin.* Associantur his & ii, qui in foro plus æquo offerunt, vel ut aliis merces præripiant, vel carius alii emere cogantur *Kæpp. l. 1. dec. 89. n. 22.* Referunt etiam huc exemplum Thaletis, apud Aristotelem *1. Polit. 11. Add. Plin. l. 30. N. 11. c. 1.* Ad crimen quoque fraudatæ annonæ hodie spectat coemtio messis immaturæ, der Früchte auff dem Felde quæ prohibita *ord. pol. tit. 19.* Quāvis verò Anth. Matthæo *d. crim. Lib. 48. tit. 8. c. 1. n. 1.* videatur, etiam eos in hanc Legem Juliam inci-

cidere, qui ſtateris vel menſuris adulterinis utuntur. Minus tamen rectè hoc ſtatui exiſtimamus, cum L. Julia ſolùm ac in ſpecie de caſu videatur loqui, quo directò ipſa annona flagellatur & oneratur. Unde etiam in *l. 6. de extraordin. crimin.* dicitur, quod quidem & tunc annona ſc. per conſequentiam, & propter adhibitam falſam menſuram oneretur, ſed committatur crimen falſi. *v. l. pen. ad L. C. d. falſ. P. H. O. art. 113.* Ob utilitatem porro popularis annonæ falſum menſurarum modum adhibentes pro modo admiſſi etiã extra ordinem puniuntur *l. 37. d. pœn. Add. Tiber. Decian. tract. crimin. tom. 1. lib. 7. c. 22. n. 20. & num. 39.*

XXV. Qui annonam expoſito modo attentant, vexant, flagellant & onerant, Dardanarii vocantur *d. l. 6.* à Dardano quodam mago: à quo & *artes Dardaniæ* pro magicis dicuntur. *Vid. Dinner. d. tract. de juſt. rer. pret. defin. q. 3. Cujac. 10. obſ. 19. Hermann. Latber. de cenſ. l. 3. c. 7. n. 69. & ſeqq. Job. Hering. mantiſs. c. 3. n. 45.* Non ſolùm autem Dardanarii dicuntur annonæ fraudatores (die Korn-Jüden) ſed & qui quaſcunque merces ſupprimunt Auff- und Fürkauffer/ *d. l. 6.* quorum malitia in genere extra ordinem punitur: *d. l. 6.* & incidunt quoque illi in crimen ſtellionatus *l. 3. §. ult. ſtellion.* in ſpecie verò L. Julià vindicatur Dardanariatus in annona commiſſus.

XXVI. Pœna fraudatæ annonæ, ut ait Ulpianus in *l. 2. d. L. Jul. de annon.* eſt aureorum viginti: quæ quidem pœna levior videtur. Concurrit verò cum illo judicio publico accuſatio extraordinaria *d. l. 6. de extraord. crimin.* ſec. quam pro qualitati admiſſi pœna eſt varia, interdum relegatio vel damnatio ad opus publicum *d. l. 6.* Hodie etiam pœnâ extraordinariâ judicis arbitrio pro

modo

modo delicti infligitur *Menoch. arb. jud. quæst. c. 384.* Singularia in hoc crimine sunt, quod & mulieres & famosi possint accusare, & servi dominos suos deferentes audiantur, *l. 1. §. 3. §. ult. de L. Jul. de annon. l. 13. de accus.* Propter publicam enim utilitatem strictum jus insuper habemus *l. 43. de relig. & sumt. fuc. Matth. d. l. c. 2. n. 3.*

XXVII. Prohibitum etiam est annonæ sicut & aliarum rerum monopolium *l. un. C. de monopol. d. ordin. pol. tit. 18. Dn. Carpz. l. 1. resp. 41.* (*ubi tradit, quod regulariter non prohibendi sint pagani furnicarii advehere panes civitatibus.*) Cujus pœna itidem arbitraria *Menoch. d. cas. 384.* Justâ tamen ex causâ aliquando Princeps, publica utilitate & necessitate exigente, monopolia potest instituere vel aliis concedere: Sic nonnullis in rebuspubl. farinæ, salis, &c. licitè exercetur monopolium. *Vid. Molin. tract. 2. de just. & jur. disp. 345. Martin. Bonacin. de contract. disp. 3. q. 2. punct. 5. Job. de Dicastill. d. J. & J. L. 2. tract. 9. disp. 3. dub. 10. n. 134. & seqq. Michael. Piccart. comm. in Polit. Arist. l. 1. c. 11. Dn. Theodor. p. m. colleg. crim. disp. 9. th. 2. b.* Huc pertinet quæstio: *an populo alicui liceat cum alio populo pacisci, ut is populus certi generis fructûs, qui alibi non nascuntur, sibi soli vendat?* Quam ita decidit Hugo Grotius: *Licere censeo, si is qui emit populus paratus sit aliis vendere æquo pretio. Nam aliarum gentium non interest, à quo emant, quod ad desideria naturæ attinet. Lucrum autem alter alteri prævertere licitè potest, maximè si causa subsit, ut si qui id stipulatus est populus alterum populum in suum tutelam receperit, sumtusq; eo nomine faciendos habeat.*

XXIIX. Adjicimus tandem, quod aliquando superiores, eorumve præfecti arrogent sibi aliquod jus protimiseos in speciebus annonariis subditorum, injungendo

do his, ut prius offerant vendenda cibaria, quam in foro venalia exponant. Verùm hujusmodi jus illis *(nisi fortè singulari consvetudine fuerit introductum)* non competere rectior est sententia, cum nullo jure hoc ipsis tribuatur, nec id solida ratio firmet, sed potiùs sit contra libertatem naturalem commerciorum, quam sine justâ caussâ rerestringere non licet. *Non obst. l.f.C.de jur. emphyt.l.1. C.de metallar. Vid. Socin. Sen. 2. cons.272. Dn.Carpzov. J. R. S. 2. c.51. def.10. Rauchbar.p. 2. quæst.22.* Atque ita Facultas quoque Juridica hujus loci de jure respondit Statibus Provincialibus Ducatus *M. Ann. 1652. Mens. Septemb. his verbis*: Daß die Landes-Einwohner/daß sie ihrer Güter Einkommen der Fürstlichen Hoffstadt oder denen Beampten vor andern anbieten und verkauffen sollen / wider ihren Willen nicht anzuhalten / sondern darmit zu verschonen.

COROLLARIA.

I. An l. si unquam 8. C. de revocand. donat. ad quemvis extraneũ pertineat? Neg.

II An sententia propter instrumenta noviter reperta rescindi possit? Neg.

III. An donator teneatur de evictione? Neg.

IV. An fœmina in Feudo ex pacto ad eam transitorio semel exclusa per masculum, in perpetuum exclusa maneat? Neg.

V. Si Feudum alicui ejusq; filiis & filiabus sit concessum, an descendentes ex fœminis sub isto pacto comprehendantur? Neg.

VI. An feudum cum consensu domini alienatum, à filiis post mortem parentis jure delatæ successionis revocari possit? Neg.

VII. An juramentum fidelitatis remitti possit? Aff.

VIII. An hypotheca in Feudo cum consensu tantum agnatorum facta valida sit? Neg.

FINIS.

